



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Musa Virgo. 2. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

ro aquis jubet margi. Sed mitiores domi-  
no famuli, cum in silvas utrumque expo-  
suisent, domi se imperata peregrisse ad-  
simularunt. Nec defuit etiam inter silvas  
afflictis miserorum MATER, sed cer-  
vam misit, quæ statâ horâ quotidie in-  
fanti ubera præberet. Annus agebatur  
orbis restaurati DCCCL. exilii GENOFE-  
FÆ V. cum Sifridus, dum feras quærit  
in homines offendit, in iis conjugem &  
natum, in utroque crimen suum agnos-  
cit, VIRGINI verò SOSPITATRI-  
CI id loci templum struit: ut si ejus be-  
neficia urbes taceant, vel silvæ loquantur.  
*Ex Molano.*

*In quacunq;ue hominum verseris frequen-  
tiâ, cave aliena conversationis esse aut cu-  
riosus explorator, aut temerarius iudex:  
& si actum quid deprehendes, nec sic iudi-  
ces proximum, magis autem excusa. Bern.  
de duod. grad. Hum.*

S. MUSA VIRGO. 2. Aprilis.

**E**Rat M u s a virgo Romana, rarum,  
at breve teneræ ætatis miraculum,  
cujus lecto nomine, cave citharam cho-  
tòsve cogites, nullæ occurrant Pieri-  
des; vitæ severitatem, verborum mo-  
derationem, animi recessum discite.  
Quiescenti olim Deipara, denso virgi-  
num sacrarum agmine cincta, se obtulit;  
omnibus in vultu nitox solis, in veste

O 4 candor

216 VITÆ SANCTORUM. 2. April.  
candor nivis. Et Regina quidem eam af-  
fata: Comites, inquit, meas dote virgini-  
tatis filii mei connubium promeritas vi-  
des? augebis tu numerum, si moribus ma-  
tronam potius quàm puellam præstite-  
ris, & infantia senilem miscueris tem-  
perationem. Nihil, quo pares leviter  
exultant, amabis. Religioni risum, jo-  
cum sceleri duces. Ad honesta oculis, ad  
interrogata verbis. Ad necessaria ma-  
num, ad iussa gradum movebis. Sic ef-  
ficiam ut trigesimo die voti compos fias.  
Sub hac ita mutata est *Musa*, ut sollicito  
parentum oculo non indigeret, ex quâ tot  
gravitatis peti argumenta poterant. Ita-  
que interrogare subiit novi moris cau-  
sam: quam filia nocturni visi commemo-  
ratione attonitis indicavit. Quinto inde  
ac vicesimo die febris corripitur: trigesimo  
Deiparâ *Musam* evocante, illa gestiens  
iterat, *Ecce Domina venio*, & cum voce  
hinc abiit; vobis quoque, qui *Musas*  
colitis, Ducem præbitura se, monitura-  
que cælum ambientibus morum levita-  
tem oneri esse. *Ex l. 4. Dial. S. Greg.*

*Ut Deum contempleris factus es; non ut  
humi erreat vita tua; non ut pecudum ri-  
tu voluptate perfruaris: verius ut ad nor-  
mam & institutum caelestis vite tuam  
ipsius componas. S. Basil. hom. II. in  
Hexem.*

S. R. I.